

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 16

Notum sit omnibus successoribus nostris quod quidam milites de Vindocino, Effridus Rufus, et Hugo filius Herluini, venerunt in capitulum Sancti Martini Maioris Monasterii atque alodos quos apud villam que vocatur Villare habebant, eidem loco pro suarum remedio animarum iure perpetuo concesserunt. Quod quidem ut fieret, donantur eis, uni videlicet Effrido ad quem alodi proprie pertinebat tres denariorum libre: Hugoni vero a quo illos pridem emerat ut doni auctoritatem ex sua parte firmaret XXti solidi. Utrisque vero simul nostri loci impenditur beneficium. Huius vero traditionis convenientia ut firmior in postero duraret, donum idem ipsi super altare Sancti Martini posuerunt. Nomina vero testium qui hec viderunt et audierunt subtus notata sunt:

Acfredi Garnerii – Otberti cellararii – Hilduini – Hugolini qui hanc donationem fecerunt – Almarii – Rainaldi succelli – Gualterii – Giraldi.

Postquam hoc factum est, Nihardus supradicti Effridi filius eandem alodorum partem quam idem pater eius cum iam dicto Hugone Sancto Martino donaverat, calumniatus est, qui cum ab eadun calumnia gratis desistere nollet, Odo Sancti Martini monachus, tandem cum eo ad concordiam veniens, V ei solidos vice fratrum ut accepta querela cessaret dedit; quibus acceptis ab appetitu calumnie declinans donum quod pater eius fecerat Sancto Martino eiusque monachis, coram his testibus perpetuo auctorizavit. S. Fulcherio de Turre – Huberto canonico Sancti Georgii – Bernardo nivello – Guismando et Nivelone hominibus Sancti Martini.